DIEM SACRUM AB. S. LUDOVICI NOMINE VOCATUM IN HONOREM SERENISSIMI ET POTENTISSIMI...

Friedrich Gotthilf Osann

DIEM SACRUM

AB S. LUDOVICI NOMINE

VOCATUM

IN HONOREM

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

LUDOVICI II

MAGNI DUCIS HASSIAE ET AD RHENUM

CIVIBUS

ACADEMIAE LUDOVICIANAE

OMNI QUA PAR EST

OBSERVANTIA ET REVERENTIA

CELEBRANDUM

RECTOR CUM SENATU

INDICIT.

INEST F. OSANNI PROF. ELOQ. COMMENTATIO DE COLUMNA MAENIA.

GISSAE.
TYPIS GEORGII FRIDERICI HEYERI PATRIS.
MDCCCXXXXIV.

Magnorum virorum de re publica meritorum laus quum non solum in eo cernatur, ut aequalibus ii quoquo modo prodesse studuerint, sed ut talia opera pro ipsorum quisque indole edere enisi sint, quibus non modo ipsorum aetatis commodis consuluisse, sed etiam posterorum saluti perpetuae prospexisse existimentur: cives beneficiorum acceptorum memores omnibus temporibus summam dederunt operam, ut bene de patria meritos tum vivos summis, quantum id fieri poterat, honoribus afficerent, tum quum fato cessissent, memoriam eorum monumentis aliquibus publice positis celebrarent celebrandamque posteris traderent. Haec publica grati animi declaratio, non nostris demum temporibus, quibus mirabili fervore in hoc gratiarum actionis genere exercendo omnes vires contendi atque certari videmus, inventa vel quammaxime coli coepta est: immo nulla aetas eius officii testificatione in gentibus vel aliquantillum cultura animi ingeniique barbarie emersis prorsus caruit, nulla vero ad laudationem civium de suis promeritorum publicam promptior, nulla in praedicatione magnarum virtutum iuste habenda ingeniosior quam ea fuit, quae temporibus antiquorum populorum, Graecorum et Romanorum circumscribitur, et quae quum in aliis plurimis rebus, quae ad altiorem ingeniorum cultum pertinent, tum etiam hac in re, de qua sermo est, suo lumine saeculis insequentis praeivit viamque monstravit sequendam. Etenim nihil ut dicam de variis honoribus et muneribus, quibus antiqui illi populi cives de civitate bene meritos, tum inter vivos essent, omni modo decorare studuerunt [1]), animum iuvat advertere ad id eius publici officii genus, quod a quo tempore semel ars antiqua a fingendis deorum simulacris ad effigies etiam hominum exprimendas progressa fuit, admirabili artificio excultum est, et quo, quandoquidem et cuiuspiam memoriam penitus recolendam inprimis

1) V. inprimis Koehlerum in Morgensternii Dörptsche Beiträge I, 2 et II, 2.

humanae formae imitatio arte reddita facit, nullum potuit vel efficacius vel rei convenientius inveniri. Igitur ut sempiterna esset talium virorum memoria, coniuncta illa simul cum repraesentatione eius formae externae, cuius speciem ipsi dum viverent prae se tulissent, civitates veteres simulacra omnis formae, omnis materiae fingenda curarunt, quibus illorum imagines quam fieri poterat diligentissime et summa quidem arte redderentur; atque ut ipsa contemplandi ea hominum illustrium signa opportunitate ad imitandas eorum virtutes cives excitarentur, in delectu locorum, quibus publice ea exponerentur, habendo maximam operam posuere, quo et facilis ad ea aditus esset et ab omnibus conspici ea possent. Quod quum variis modis perficere tentarunt, ut eius generis simulacra vel edito vel maxime conspicuo urbis loco, sive in foro sive in vicinia templorum vel curiarum collocarent, tum etiam hoc modo assequi omnium optime sibi visi sunt, ut statuas, quo undecumque conspici possent, columnis singularibus imponerent, quod quum non ita frequenter apud Graecos factum videtur, ut adeo fuerint, qui eum morem Graecis cognitum fuisse negarent [2]), apud Romanos tamen ita usu receptum fuit, ut eius moris etiamnunc insignia exstent documenta, quales Romae sunt Traiani et Antonini columnae, quarum ad exemplum etiam nostris diebus laudabili aemulatione eius generis opera erigi vidimus. Adde columnam illam Alexandriae Aegypti ad hunc ipsum diem servatam, quam, licet Alexandri M. iussu, ut videtur, exstructam [3]), hic ideo in operibus Romanis refero, quod quum non certo nunc liqueat, Graecorum temporibus quid fastigio eius impositum fuerit [4]), certe ex tituli ei inscripti superstitis contextu colligitur,

2) V. quae hac de re contra Letronnium Recherches sur l'Égypte p. 366. disputavi, Comm. de columna Alexandrina Pompeii nomine vulgo appellata p. 349. (Memorie dell' instituto di corrisp. archeol. III.). Cf. Welcker Mus. Rhen. II, 4. p. 492.

3) V. Comm. modo laudatam. Mecum facit Welckerus l. l. p. 491.

4) Silvester de Sacy Relation de l'Égypte par Abd-Allatif p. 239, ubi quae Arabes ea de columna vera vel fabulosa tradiderunt, prolixe refert, ad sententiam meam muniendam minime spernenda, mihi vero tum quum ista litteris mandarem non cognita, in columna summa speculam, qua astronomi Alexandrini stellas observarent exstructam suspicatur: quod quo minus viro eximio credamus, ipsa loci conditio obstare videtur. Statuae contra sustinendae idoneum locum fuisse, probabilior aliorum, qui inspexerunt ipsi, sententia est. Sacyo non ignorata, atque etiam nobis olim commemorata p. 334; quod quum per se veri est simile, tamen eius rei indicia, quae hodieque reperiuntur, non potest dubitari, quin eius fuerint signi, quod Diocletiano dedicatum fuit, ita ut de primitivo fastigii habitu et forma certi nunc quidem statuere nihil omnino liceat. Nam quo artificio summa columnae pars, Aphthonio Progymn. 12 in descriptione arcis Alexandrinae teste, qui non aliud quam nostrum mente habuisse potest monumentum, ornata fuit

imaginem Diocletiani imp. postmodo eam sustinuisse. Eo enim sensu accusativus nominis proprii verbo destitutus in monumentis honorariis et sepulcralibus saepe ponitur, ut significetur persona, cuius imagine sive statua sive anaglypho monumentum ornatum fuerit: ubi ἐτίμησε vel ἐτίμησαν supplendum existimant [5]). Praetereo alia permulta eius artificii exempla Romae olim exhibita, vel per Italiam sparsa, quarum notitia per veterum scripta ad nos sola pervenit, digna tamen quae diligentius quam adhuc factum excutiatur. Quae quum ita sint, si in unam huius generis columnam Romanam, vulgo Maeniam appellatam, accuratius inquirerem, quae ut civi de re publica bene merito a grato populo dedicata fuit, ita in vetustissimis eius honoris exemplis habenda videtur, id a dignitate eius diei sacri, quem summa observantia celebrandum de more solito indicimus, eo minus abhorrere putavi, quo haud gratiorem pietatis erga virum de patria sua immortaliter meritum significationem ad moris illius antiqui et artificii exemplum compositam eodem illo die profiteri constitutum est. Etenim quod populus Hassorum gratus ad sempiternam memoriam Principis divi, LVDOVICI I, nuper Magni Ducis Hassiae et ad Rhenum servandam excogitavit, ut simulacrum eius aere conflaretur idque columnae grandi in loco urbis regiae celeberrimo exstruendae imponeretur, id nunc eo

(ἀρχαὶ δὲ τῶν ὄντων τῇ τῆς κίονος κορυφῇ περιεστήκασι), id Aphthonii interpretes, Doxopater et Scholiasta anonymus in Walzii Rhet. p. 531 et p. 656, opus anaglyphum, quo summum columnae capitulum sustentaretur, rectius interpretantur: falli vero iidem mihi videntur, quum ἀρχὰς illas quatuor elementorum signa intelligunt; nam quum ipsa phraseos ἀρχαὶ τῶν ὄντων ratio putare nos iubeat, eam mystico sensu accipiendam esse, vix poterit Aphthonius aliud quidpiam dicere voluisse, quam Titanes, quos novimus eo vocabulo significatos esse (v. ad Cornutum p. 292, coll. p. 91.) in capitulo arte expressos fuisse; quod item pertinere puto ad τῶν ὄντων ὑπόμνημα, quo idem Aphthonius principalis domus iuxta exstructae tectum rotundum ornatum ait. Quae coniectura, ipsorum verborum vi firmata, mihi quidem probabilior videtur Odofr. Mülleri commento, qui, Hefftero narrante Zeitschr. f. d. Alterth. 1839. No. 49. p. 387, Oceani et Terrae vel alia quaepiam eius generis signa interpretatus est. Ceterum si quidem vera sunt, quae de Diocletiani statua columnae imposita supra dixi, refutatur iis quod Sacyus, ad quem verbo redeo, de aetate Aphthonii definienda statuit, probatum illud Hefftero l. l. p. 389. Quibus enim ille utitur Aphthonii locis ad demonstrandum, tum quum progymnasmata ista scriberentur, antiquorum deorum gentilium cultum iamiam abolitum fuisse, quod Theodosii M. demum tempore in Aegypto factum fuisset, iis nihil aliud continetur, quam quod auctori eius libri dii isti οἱ πάλαι vocantur, quod non tanti videtur, ut ex ipsa urbe Alexandria ii plane tum expulsi existimandi sint. Immo descripsit Aphthonius ut cetera omnia, ita etiam columnam talem, qualem paullo antiquius aevum vidit, videlicet ornamento illius statuae, fortasse etiam capituli Corinthii serius additi (v. Comm. nostr. p. 335) adhuc carentem. Sed haec obiter de constituenda Aphthonii aetate.

5) V. Syllog. inscr. p. 155. 226 et quae Boissonadius de hac ipsa columna disseruit apud Chateaubriand Itinéraire de Paris à Jérusalem, T. III p. 99. ed. Bruxell. 1827.

processit, ut iustae civium exspectationi nihil iam relictum sit, nisi ut praegrandis statua, egregium Schwanthaleri opus, in fastigio columnae tam arte quam mole maxime conspicuae collocata, velamentis, quibus adhuc circumvoluta est, denudetur atque in conspectu omnium palam exponatur. Quae monumenti, quo nullum sanctius, nullum carius populo Hassorum constitui potuit, consecratio ut rite fiat, et eo quidem ipso die, qui a LVDOVICI nomine appellatur, quique per totam civitatem sacris solemnibus quotannis celebratur, providit sapientia Principis optimi, LVDOVICI II, Magni Ducis Hassiae et ad Rhenum, qui illius operis profligandi curam tantopere cordi SIBI esse voluit, ut quod EIVS auspiciis consecratur memoriae Patris augustissimi monumentum, perenne idem simul nunc iam splendidissimum pietatis IPSIVS erga Parentem documentum existimetur.

Sed revertendum nobis ad propositum, quod si pro gravitate sacrorum, quae haecce conscribendi ansam dederunt, levius videatur, hanc excusationem habebit, quod ex antiquitate petitum est, ex qua locus aliquis desumptus in hoc genere scriptionum academicarum more maiorum tractari solet. Ac proficiscendum in tota hac quaestione a duobus locis, uno Livii, antiquissimi eius rei testis, altero Plinii, quorum ille [6]) L. Furio Camillo et C. Maenio consulibus a. u. c. 417, postquam omne Latium sua opera subegissent, destinatum omnium consensu triumphum fuisse narrat, insuper adiiciens, *additum triumpho honorem, uti* [7]) *statuae equestres eis, rara illa aetate res, in foro ponerentur.* Huic iam adde Plinium, ubi de variis artificiorum generibus, quibus veteres hominum bene meritorum memoriam celebrare soliti essent, verba facit, inter alia etiam haec referentem [8]): *Non vetus bigarum celebratio in his, qui praetura functi curru vecti essent per Circum. Antiquior columnarum, sicut C. Maenio, qui devicerat priscos Latinos, quibus ex foedere tertias praedae Romanus populus praestabat, eodemque in consulatu in suggestu nostra devictis*

6) VIII, 13.

7) Vulgo *ut.* Levidense quidem nec tamen spernendum quod Drakenborchius scite advertit, in quorundam librorum scriptura *ubi* latere *uti,* quas voculas innumeris locis in MSS. confusas esse satis constet. Atque recipiendum *uti* invitis licet editoribus ideo mihi visum, quod verba *uti statuae equestres eis in foro ponerentur* (nam *rara illa aetate res* Livio ipsi relinquendum) ex ipsa decreti formula a Livio sumpta ipsiusque orationi accommodata esse fas est coniicere: quam scriptoris consuetudinem, orationem suam ad actorum publicorum formulas conformandi, non est quod exemplis hic adstruam. De antiqua receptae particulae *uti* vel potius VTEI forma disputavi Commentatione propediem edenda de pronomine tertiae personae Latino *is ea id.*

8) H. N. XXXIV, 5 (11).

Antiatibus fixerat anno urbis CCCCXVI. His locis quum dubium nullum omnino sit, quin idem factum modo quamvis paullulum diverso enarretur, ex iis in unum iunctis facile opinio nasci debuit de C. Maenii statua equestri in columna posita: qua admissa coniectura satis probabili non potuit non idem de Camilli statua item equestri statui, etsi columnae Camilli apud nullum scriptorem, quantum sciam, mentio ulla fiat. Nam quod aliquis opinari possit, duumvirorum illorum cuique duplicem honorem, et statuae equestris et insuper columnae, decretum fuisse, ita ut amborum scriptorum quisque honorum collatorum unum tantummodo commemorasse censendus sit, id, si per se spectatur, tantum abest ut aliquam probabilitatis speciem habeat, ut ea honoris duplicati cumulatio non antea admitti queat quam idem etiam alias factum esse demonstretur. Iam in tota ea re tradita quid obscurum vel minus accurate dictum videatur explanaturo et si fieri potest ita expedituro, ut quid vere, aut probabiliter saltem Romae duumvirorum illorum in honorem decretum fuerit demonstretur, consulendus ante omnia is videbitur, quo neminem melius antiquitatem Romanam perspexisse apud omnes constat, Niebuhrius, immortalis vir memoriae, qui [9]) haec ea de re, quatenus duobus illis testimoniis edisseritur, pronuntiavit: „Nach Livius wurden beyden Consuln Standbilder zu Ross errichtet. Plinius Stillschweigen beweist nicht, dass L. Camillus dieser Ehre nicht theilhaftig geworden: es waren so viele alte Bilder untergegangen. Aber seine Angabe, dass die Statue des C. Mänius auf eine Säule gestellt gewesen war, ist zu bestimmt, um nicht grössern Glauben als die beiläufige der Annalen zu verdienen.“ Haec Niebuhrius: sed tanta ille pro more suo breviloquentia usus, ut ambigas, an quod ex Plinio refert, non adsumpto Livii testimonio eum confinxisse dicas, quippe memoria lapsum, cui tantum confisus esse traditur, ut in hac praesertim Historiarum suarum parte posteriore componenda non revolutis quoque loco testium monumentis sua litteris mandarit. Quidquid huius rei est, quum sententia illa Niebuhrii haud alio pacto sustentari videbatur, nisi quum quae uterque scriptor tradidissent conflarentur, quod in tanta eorum discrepantia aegrius concesseris, nihil mirum debuit videri, si ipsa in dubium vocata est. Atque apertis quamvis non verbis, tamen reapse eam sententiam impugnavit is, qui a Niebuhrio in amicorum numerum olim adlectus,

9) Hist. Rom. T. III. p. 167.

patroni defuncti res in summis bonis habendas summoque studio tuendas censuisse et censere putatur, ita ut si ex defensore adversarius repente idem factus est, id non sine iustissima causa factum esse existimari debeat. Bunsenius igitur in Descriptione Romae sua et amicorum cura edita [10]), ubi de columna Maenia agitur, non sine magna probabilitatis specie ea de re ita statuit, statuae equestri sustinendae columnae talis, qualem Maeniam fuisse necesse sit existimare, aream summam nullo modo idoneam fuisse: quum enim Maeniam columnam ad similitudinem Duilliae factam esse ex ipso Plinio colligatur, huius modulum, quem ex superstite basi probabiliter computare possimus, imponendae equestri statuae minime favisse. Quae sane ita comparata sunt, ut si tam vera sunt quam acute excogitata, omnia quae de C. Maenii statua equestri in columna posita traduntur, in fabulis referenda sint. Haec vero sibi interim habeant: nam iurene ea sint Niebuhrii sententiae obiecta ex iis patebit, quae infra appositiuri sumus. Sed aliud insuper addidit Bunsenius argumentum, specie quidem haud ineptum. Ex columna enim Maenia ait v. cl. meridiem per accensum consulis pronuntiari quotidie solitum esse, quod si summa columna simulacro occupata fuisset, fieri vix potuisset. At Plinianum locum [11]), quo solo ista nituntur, accuratius inspicienti patebit eam dubitationem, quam Niebuhrii sententiae opposuit, non modo levem, sed omnino nullam esse, quod pace viri doctissimi dictum velim, cuius in hoc loco explicando diligentiam desidero eam, quam alioquin in rebus antiquitatis Romanae indagandis luculenter probavit. Etenim Plinius, ubi de horarum observatione Romae agit: *Duodecim tabulis*, inquit, *ortus tantum et occasus nominantur; post aliquot annos adiectus est meridies, accenso consulum id pronuntiante, cum a Curia inter Rostra et Graecostasin prospexisset solem; a columna Maenia ad Carcerem inclinato sidere, supremam pronuntiabat, sed hoc serenis tantum diebus usque ad primum Punicum bellum.* Res flagitat ut in sensu verborum quamvis aperto mentem scriptoris explicemus, qui nihil aliud docere vult, quam ex quo meridies horarum observationi adiectus fuisset, hunc ab accenso eo diei medii momento, quo solem a Curia inter Rostra et Graecostasin prospiceret pronuntiatum esse; item etiam supremam, quum solem [12]) a columna Maenia ad Carcerem inclinatum animadverteret, quod

10) Vol. III. P. II. p. 43.

11) VII, 60.

12) *Sidus* hic pro sole positum. V. nobis notata ad Cornutum p. 227.

si quo ex loco id factum sit quaerimus, vix ex alio respondendum est fieri potuisse quam ex quo etiam meridies observatus fuit, ex Curia, quae Hostilia vocabatur, ut cum aliis recte existimat Beckerus [13]): qui supremam pronuntiandi mos ex re iudiciali repetendus atque ex ea aptus videtur, quandoquidem ex Plebiscito apud Censorin. de die natali 24 constat, praetorem usque ad supremam, h. e. ad solem occasum, ut antiqui dicebant, ius dixisse.

Exploso igitur Plinii testimonio, quod in subsidium advocaverat Bunsenius, idem qua ratione rem expediri posse arbitratus sit, eo maiore cum fructu explorabitur, quo ea expensa, quid tota de re omnino statuendum sit, certius proditurum videatur. Atque statuae sustinendae columnam eiusmodi aptam minime esse, persuasum sibi habens, Bunsenius hanc maluit sibi informare opinionem, ut quemadmodum columna Duillia simulacro imposito caruisset, ornamentis ex re navali petitis illa contenta, similiter etiam Maeniam in pila singulari constitisse dicat, victoriae aliquibus signis de more antiquorum exornata [14]). Quae coniectura, si quidem paulisper testium fidem omittamus, primo adspectu tantam habet veri similitudinem, ut nihil contra dici posse videatur. At mox aliter videbitur. Refutatur enim ea sententia eiusdem argumenti auxilio, quo auctor ipsam sustentare studuit. Verum hoc, quum Plinius ipse Maeniam et Duilliam columnas exempli loco iuxta attulerit, non posse non eiusdem modi et formae utramque fuisse. Num vero Maeniae solam Duilliam apposuit? Minime: comparavit etiam Minuciam, cuius species non potest diversa fuisse a ceteris ambabus. Videlicet post Plinii verba [15]) supra exscripta continuo subiunguntur haec, hic non omittenda: *item Caio Duillio, qui primus navalem triumphum egit de Poenis, quae est etiam nunc in foro; item P. Minucio praefecto annonae, extra portam Trigeminam, unciaria*

13) Die Romische Topograpie in Rom, p. 30 sq. qui libellus recens editus haec scribenti commodum mihi affertur. Calabram Curiam contra intelligendam esse, docere nisus erat Sachse Beschr. der alten Stadt Rom, T. I. p. 314 et 416. Quodsi probari non potest, tamen sensum loci Pliniani, de quo unice hic quaerimus, recte ita exposuit: „Neigt die Sonne sich zwischen der ehernen Säule und dem Gefängnisse nieder (die Stelle ist in ihren letzten Worten unauflöslich dunkel, da die Lesart sehr unsicher, die Angabe allgemein und kein Gesichtspunkt angegeben ist, von wo aus dieses Niederneigen beobachtet werde) so zeigte derselbe die letzte Stunde der öffentlichen Verhandlungen an.“ Quod Sachsius aeream vocat columnam, id a scriptura loci, quae olim vulgabatur, vitiosa, dudum vero explosa, repetendum.

14) Huius generis fuisse eas columnas suspicor, de quibus Livius XL, 51: *clipeaque de columnis et signa militaria adfixa omnis generis dempsit.*

15) XXXIV, 11.

stipe collata, nescio an primo honore tali a populo, antea enim a senatu erat; praeclara res; ni frivolis coepisset initiis. Anteaquam vero ad harum dictarum columnarum rationem pervestigandam accedamus, qua mente et quo sensu Plinius columnarum omnino mentionem fecerit, videndum.

Artis genera varia expositurus Plinius, quum a simulacris deorum fingendis ad effigies etiam hominum, qui aliqua illustri caussa perpetuitatem nominis meruissent, exprimendas artem transiisse narravit c. 4, totus tum versatur in explanando eo genere, quod statuis hominum illustrium, ad ipsorum similitudinem corporis expressis, quas iconicas vocassent, continetur. Quod genus quum tam apud Graecos quam apud Latinos multis modis excultum fuisse exemplis variis et idoneis idem commonstravit, tum in eiusdem speciebus etiam equestres statuas refert c. 5, vel singulares vel etiam bigarias et quadrigarias. Iam postquam loco supra citato veterem et bigarum fuisse celebrationem dixit, h. e. bigariarum statuarum, ne verbo quidem interposito transit ad columnarum mentionem, ea non novum honorum hominibus bene meritis habendorum genus allaturus, sed aliam tantum eiusdem generis, quod in statuis consistit, speciem. Atque revera ita esse docent verba ea, quibus orationem, qua columnarum usum pertractavit, continuat. Post enim verba illa supra exscripta *ni frivolis coepisset initiis* statim sequuntur: *Namque et Atti Navi statua fuit ante Curiam, cuius basis conflagravit Curia incensa Publii Clodii funere. Fuit et Hermodori Ephesii in Comitio . . . . Alia caussa, alia auctoritas M. Horatii Coclitis statuae* etc. Et sic auctor pergit in recensendis aliis permultis statuis virorum illustrium, quae Romae positae fuissent. Quod si igitur Plinius nihil aliud per totum hunc locum agit quam ut varias statuas Romanas easque ad certa quaedam genera descriptas enarret, nonne ineptus fuisset, si argumento subito relicto ad columnarum mentionem delapsus esset, quae siquidem ex genere Duilliarum esse putantur, cum statuis nihil plane habent commune? Eiusdem rationis etiam alius locus est c. 12, ubi etiamnunc in eodem argumento versans, quum rursus in statuarum variarum commemoratione columnarum mentionem et quidem eo consilio facit, ut quid sit quod columnis ad sustentandas statuas antiqui usi sint, explicet: *Columnarum,* inquit, *ratio erat, attolli supra ceteros mortales, quod et arcus significant novitio invento.* Adde quod quo sensu hic columnae afferantur, id liquido intelligitur ex subiecta *arcuum* comparatione, quorum eandem, nisi scriptor plane insaniit, oportet fuisse rationem atque eius, quae sic commemoratur in Cenotaphio

Pisano apud Norisium [16]): *utique arcus celeberrimo coloniae loco constituatur, ornatus spoleis devictarum, aut in fidem receptarum ab eo gentium, superque eum statua pedestris ipsius triumphali ornata, circaque eam duae equestres inauratae Gai et Luci Caesarum statuae ponantur.* Haec quum ita sint, videndum, ne si Plinium ineptire iubeamus, id nostra potius culpa quam ipsius fiat. Gravis enim subnascitur rem intentius contemplanti suspicio, ne quod vulgo columnae nomine appellatum fuerit, a Plinii commemoratione plane alienum sit: quod quo modo habeat, ex ipsa forma earum columnarum, quae exempli loco a Plinio afferuntur, intelligitur.

Certam in hac quaestione viam monstrabit columna ea, quae postremo loco Plinius commemoravit, Minucia, P. Minucio extra portam Trigeminam posita. Hic iam quum in magna frumenti caritate a. u. CCCXV praefectus annonae creatus, populi fami diviso frumento succurrisset, teste Livio [17]) dicitur c. 16 *bove aurato extra portam Trigeminam donatus esse;* nam de uno eodemque homine utrumque scriptorem agere, nemo nisi si plane insipiat negabit. At non satis grato populo visum bove, de quo mox videbimus, Minucium donare: immo statuae honore eum insuper mactandum censuere. Plinius [18]): *Minucius Augurinus* inquit, *qui Sp. Maelium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad assem redegit, undecimus plebei tribunus: qua de causa statua ei extra portam Trigeminam a populo stipe collata statuta est.* Quid quaeris amplius? De eodem homine eodemque signo Plinium utroque loco loqui, indubium est [19]): hic statuam, illic columnam vocat; iurene coniectandi, quod critico conceditur, abutemur, si contendamus, monumentum Minucio dicatum columnam cum statua ipsi imposita fuisse? Sed non opus ad evidentiam rei coniectura ulla est, ubi res ipsa loquitur. Imaginem eius monumenti servarunt denarii quidam, in memoriam eius viri de patria bene

16) Diss. III. c. 8. init.

17) IV, 12.

18) XVIII, 4.

19) Nullius momenti esse videtur, quod qui Plinio *Publius* audit, a Livio *Lucius* vocatur: quam discrepantiam post alios Wuestemannus ita notavit Ed. Plin. lib. XXXIV, ut Plinio *L.* vindicandum existimet. Quid Beckerum Röm. Alterth. T. I. p. 165 impulerit, ut ubi verba de porta *Minutia*, cuius nomen sane a Minucio quodam potius quam a deo quopiam Minutio repetendum videtur, facit, Minucium utroque Plinii loco laudatum in duos Minucios solvendum censeat, id plane ignoro: mirum sane foret, si eadem sors vitaeque conditio duobus hominibus diversae aetatis accidisset; si eadem honoris caussa, idem honor sive columnae sive statuae, idem monumenti locus, eadem procuratio eius per populum stipe collata, quae quoniam praeter consuetudinem tum praestita fuit, ideo utroque loco a Plinio commemoratur; quod si idem alteri cui posthac contigisset, commemoratione haud dignum fuisset.

meriti novandam a posteris eius cusi, quorum non immemores fuerunt Pliniani loci eius, quo statuae mentio fit, interpretes, immemores vero ii fuisse omnino videntur, qui in hoc columnarum genus et rationem inquisiverunt: in quibus numis, ut alia praeteream, exhibetur columna striata, cui imposita statua est, praeterea exsurgente, ut imaginis ratio et caussa etiam planius declaretur, ex columnae basi hinc et inde spica [20]). Restat ut verbo de bove aurato dicatur, quo Minucium Livius l. l. praemii loco donatum refert. Qui locus ita comparatus est, ut non possit non signum aliquod intelligi, quod in honorem Minucii certo Romae loco et quidem extra portam Trigeminam constitutum fuerit, atque statim in mentem suspicio venit, ne Livius de eodem mnnumento, cuius Plinius mentionem iniecit, verba fecerit. Bovem vero num furca de loco abigamus? Nihil magis. Eo enim et librariorum et editorum sapientia Livium donavit, cuius in melioribus libris longe alia leguntur, v. c. *bit auro,* aliaque similia, quae editorum ii, qui bovis et quidem aurati mentionem a loco prorsus alienam recte censuerunt, variis modis tentarunt, legendo vel *bove et agro,* ut Lipsius, vel *bove ac prato,* ut Gronovius. Neque integrum, qualis vulgo exhibeatur, locum existimavit Beckerus l. l. Quae omnia tam vaga et incerta sunt, ut illis virorum doctorum inventis sobrius qui rem reputarit, nullam fidem habere possit. Neque vero nobis probabiliora in

20) Morellius Thes. numism. p. 284. eiusmodi numum ita describit: „Caput Romae galea alata ornatum, cum denarii signo.)(*Tiberii* MINVCII *Cai Filii* AVGVRINI. ROMA. Columna, basi quadratae imposita, in cuius summitate icuncula est togata, dextra hastam tenens; ipsa vero columna constat ex multis modiis sibi invicem impositis; ad imam columnae partem duae surgunt spicae, ad latera adstant duo viri, ad dextrum quidem vir togatus, utraque manu modium tenens, quasi sibi invicem adpliciturus, laevo insuper pede, non columnae vel basi, sed modio insistit. Ad sinistrum latus est vir, habitu augurali, capite velato, lituum gerens, non alio more depictum quam vulgo fieri solet, incurvum videlicet, atque alia, quam militarem, figura.“ Cf. Ekhel Doctr. T. V. p. 255. Sunt praeterea etiam alii eiusdem numi typi nonnihil diversi, de quorum varietate nihil attinet hic exponere, quum praesertim quae ad explicandam numi imaginem faciant, a Morellio aliisque iam occupata sint. Unum hoc adnotare ex re erit, ut ceterorum omnium numorum totius huius classis imagines, quas Morellius aere incisas exhibet, ita etiam horum effigies ad formam artis, qua expressi sunt, parum accedere. Multo melius illud exemplum, quod ex Descriptione Romae repetendum curavit Beckerus Röm. Alterth. T. I. Tab. V, 1, sed tamen modulum nonnihil excedens et re vera, ut credo, artificiosius et elaboratius. Quare operam dedimus, ut eius numi, qui non in vulgaribus censetur, imaginem exhiberemus in tabula huic libello adiecta talem, qualis in exemplari exstat, quod ex Numophylacio Ludovicianae, qui ei praefectus est, Adrianus, collega coniunctissimus, suppeditavit. In quo exemplari peculiare est quod figura columnae imposita dextra habet, sive hastam, plane illam diversae formae ab hasta in numo Morelliano, sive clypeum, cuius signum in nullo alio eius generis numo adhuc repertum est.

promptu sunt, eo contentis, quod hunc locum Livianum, ut qui quaestioni propositae nihil prosit neque officiat, salva re nostra praeterire possimus.

A Minucia columna progredimur ad alteras ceteras: illius quae ratio olim fuerit, indubiis, ut puto, si argumentis demonstratum est, ea patefacta tanquam fundamento iam superstruere licet etiam quae minus certa sunt. Atque quemadmodum ex columnae Duilliae, qualis ad nos pervenit, conditione et forma in Maeniam conclusionem Bunsenius fieri posse recte iudicavit, quid invicem ex Minucia in Maeniam coniicere liceat, eodem nostro iure experiamur, seposita paulisper Duillia, ad quam mox revertendum erit. Iam ad explanandam Maeniae formam non multis opus est verbis, quandoquidem eandem tribus illis, quae simpliciter columnarum nomine Plinius iuxta confert, monumentis necessario fuisse oportet. De una enim si certo liquet, liquet etiam de ceteris, idque tanto certius de Maenia contendi potest, quo quae de ea columna traduntur, facilius inter se conciliari atque eundem in modum explicari possunt. Ac primum Plinius columnam Maenio dicatam fuisse narrat: quod quid sit, explorato iam sensu quo idem voce *columna* uti solitus sit, apertum est. Dein si Livius iam Maenio statuam equestrem positam asserit, nemo ei exprobrabit, quod non simul columnae, cui imposita fuisset, mentionem fecerit: commemoravit enim id quod in isto munere publico primarium fuit, statuae honorem, quae utrum basi, an cum basi etiam columnae imposita fuerit, nihil magnopere adnotare attinebat. Itaque quod hic imperfectius tradidit, id iam Plinii testimonio adsumpto completum inque clarissima luce positum agnoscimus. Atque aliud earundem paene vocum ambigue, ut apud Livium, usurpatarum exemplum in promptu est, propter rei affinitatem hic non omittendum. Plinius [21]), ubi de antiquissimo deorum apud Romanos cultu loquitur: *Hos enim deos*, inquit, *tunc maxime noverant: Seiamque a serendo, Segestam a segetibus appellabant: quarum simulacra in Circo videmus. Tertiam ex his nominare sub tecto religio est.* Iam cum his compara haec Tertulliani [22]): *singula ornamenta Circi, singula templa sunt. Sessias a sementationibus, Messias a messibus, Tutelinas a tutela fructuum sustinent columnae. Ante has tres arae trinis diis parent, magnis, potentibus.* Qua obscuritate in singulis gravissimi hi duo loci, praesertim quum inter se contenduntur, laborent, me quidem non fugit. Nemo vero mecum contendet, quominus iisdem

21) H. N. XVIII, 2. 22) De spectac. 8.

de simulacris sive signis deorum in utroque loco agi dicamus. Plinium iam si solum audimus, singulae illorum numinum statuae in Circo positae erant: sin Tertullianum, columnis eae sustinebantur. Quid hoc discriminis est? Idem factum quod supra vidimus. Ut imperfecte illic Livius, sic hic Plinius rem tradidit, quoniam satis pro re ei visum fuit adnotare, illarum dearum memoriam etiamnunc servari simulacris ipsarum in Circo positis.

Omnia, quae hactenus disputavimus, bene procedere atque ita inter se vincta esse videntur, ut nihil afferri queat, quod quae diligenter colligavimus dissolvere possit. At superest tertia eius generis columna Duillia, quam Plinius iuxta commemoravit: cuius ratio externa, Bunsenium si audimus, ita comparata est, ut de statua ei imposita ne cogitari quidem possit. Nihilo tamen minus, Minuciam et Maeniam siquidem demonstratum recte est statuas in summo sustinuisse, idem etiam de Duillia necesse est statuamus: quod quo modo recte fieri potuerit, difficilius sane est ad intelligendum. Nam nolo in profliganda quaestione argumento illo abuti, quod a conditione baseos Duilliae unice hodie superstitis repetitur, quandoquidem scapus iure, ut puto, pro novitio opere habetur: fuere enim qui non sine iusta caussa, etsi a nemine etiamnunc quantum sciam ea diligentia, qua in opere tantae auctoritatis par est, exposita, monumentum a. 1560 effossum, quod solum tenemus, antiquae illius Duilliae partem esse negarent, idque potius ad exemplum antiquae columnae collapsae restauratum esse. Quod etsi verissimum est, quodque indubiis argumentis aliquando me demonstraturum confido [23]), tamen eo nolo, ut dixi, tanto minus in dirimenda hac quaestione uti, quo probabilius est, columnam, quum reformaretur, ad similitudinem pristinae expressam fuisse. Si igitur in hac re profliganda baseos nunc servatae ratio utique habenda est, aut omnia quae hactenus coniectavimus, corruunt, aut sumendum, statuam, quae Duilliae imposita fuerit, si modo qua imposita fuit, multo minoris moduli fuisse quam, ubi de statua humanam effigiem reddente sermo est, fas sit putare. Atque ita est, et ita quominus fuisse statuamus, quum per se nihil reperiatur quod obstet, tum praesto est certissimum testimonium adhuc neglectum, quo res uno veluti ictu conficitur. Etenim Plinius eodem illo loco, quo de statuis

23) Ad hanc sententiam probandam non spernenda quidem, sed levioris tamen momenti sunt quae post alios nuper et Ritterus Elem. gramm. p. 109 et Düntzerus Liv. Andron. p. 38 attulere. Cf. etiam Lepsius De Tab. Eugub. p. 90.

agit, saepius laudato, postquam antiquissimas illas statuas commemoravit, quae Tullo Clodio, Lucio Roscio, Spurio Nautio, C. Fulcinio, a Fidenatibus in legatione, et P. Iunio et Tito Coruncano, a Teuca [24]) Illyriorum regina interfectis publice positae fuerint, his pergit: *Non omittendum videtur, quod Annales adnotavere, tripedaneas his statuas in foro statutas. Haec videlicet mensura honorata tunc erat.* Quid igitur? Si eam mensuram in simplice statua exhibenda veteres non aspernati sunt: nam columnis statuas illas impositas fuisse, certe non traditum: quid est quod tum eam negemus adhibitam esse, quum minoris moduli usum ipsa columnarum, quibus imponendae essent, conditio commendaret? Itaque nihil obest quominus etiam Duilliam columnam statua Duillii olim ornatam fuisse censeamus, quod ut reapse factum fuisse dicamus, ipsa testium adhitorum auctoritate adducimur [25]).

A Duillia columna iam ad Maeniam revertimur, cuius de ratione quum hactenus ita quaesiverimus, ut quid ex Plinii et Livii locis primariis per se spectatis effici posset, perscrutaremur, accidit ut utrumque scriptorem inter se non modo non dissentire, sed talia quemque referre, quae cum altero collata ad veritatem ipsa ducerent, in comperto nunc habeamus, ita ut tota haec quaestio profligata videri posset, nisi praeter illa etiam aliorum scriptorum testimonia in promtu essent, diversa omnino enarrantia: de qua discrepantia eo diligentius nunc videndum, quo plurimi eorum, qui totum hunc antiquitatis locum tractarunt, omnia, quae apud antiquos de eo traduntur, confundendo rem per se impeditam etiam magis obscurarunt. Ex his igitur scriptoribus, qui columnae Maeniae mentionem insuper faciunt, primo loco nominandus est Cicero [26]), qui verbis quidem, si per se spectantur, minime impeditis, re tamen paulo obscurioribus: *Tantane,* inquit, *vobis inopia videor amicorum, ut mihi non ex his, quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? vobis autem tanta inopia reorum est, ut mihi caussam praeripere conemini potius, quam aliquos a columna Maenia vestri ordinis reos reperiatis?* Ad pernoscendum huius loci sensum haud multum refert explorare, utrum *ad columnam Maeniam,*

24) Non integrum videtur hoc nomen, quippe commutandum cum *Teuta*, quo nomine ea Illyriorum regina appellatur tum apud Polyb. II, 8, apud quem frequens eius nominis mentio sine lectionis varietate ulla, tum apud Hieronymum ad Iovinian. I, 44. Apud Florum II, 5 audit *Teutana.*

25) Oculis meis vix fidem habui, quum inspecto forte Adami Antiquitatum Rom. compendio, a Meyero in vernaculum sermonem translato, inciderem in Tab. II, ubi columnae Duilliae statua in fastigio ornatae effigies exhibetur: cuius ad exemplum ea depicta sit, plane equidem ignoro.

26) Div. 16, 50.

quod cum aliis Garatonius praetulit, an *a col. Maenia*, quod Zumptius ideo optavit, quod tutius videretur in hac scripturae discrepantia codicum tantum non omnium sequi auctoritatem, praestare dicamus: at illam lectionem praeter aliquot codices a Beckio notatos ceteris testibus omnibus antiquior certe Pseudo-Asconii auctoritas tuetur, confirmatam praeterea ipsa, ut puto, dicendi consuetudine. Quum enim *vestri ordinis rei,* recte interpretante Asconio illo, fures sint et servi nequam, qui apud triumviros capitales ad columnam Maeniam puniri soleant, quod ne fictum a grammatico putemus evincunt, quae de eadem columna idem alibi Cicero [27]) et de columnariis Caelius [28]) perscribunt [29]), Cicero mentione columnae Maeniae nihil aliud nisi locum, quo ipsorum accusatione dignos reos isti, quos exagitat, homines reperire quirent sat multos, significare potuit, minime vero tales, qui *a* columna Maenia essent, quum praesertim hac phrasi homines nequam in ius rapiendos puniendosque vulgo designatos fuisse demonstrari nequeat. Utro autem modo illius loci scripturam constituamus, nihil magnopere, ut dixi, refert ad vim verborum enucleandam minime obscuram, si vero qualis illa columna fuerit, valde impeditam. Etenim Interpres Latinus vetus: *Maenius,* inquit, *cum domum suam venderet Catoni et Flacco censoribus, ut ibi basilica aedificaretur, exceperat ius sibi unius columnae, super quam tectum proiiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri eius spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur columna Maenia vocitata est.* De fide quidem eorum

27) Pro Cluentio 13.

28) Cic. Ep. ad fam. VIII, 9.

29) Huc etiam referendus videtur locus ille Or. pro Sextio 8, 18 apud Orellium non accurate scriptus, quem ope codicis Vaticani a Maio vulgati Auct. class. T. II. p. 129 emendatum apponere libet: *puteali et faeneratorum gregibus inflatus; a quibus compulsus olim, ne Scyllaeo illo aeris alieni tanquam in freto ad columnam adhaeresceret, in tribunatus portum perfugerat:* in quibus codicis scripturam integram exhibuimus, nisi quod *in,* quod ante *Scyllaeo* additur, omisimus, omissum etiam in vulgata loci lectione. Imago exhibetur Gabinii, nefarii hominis, tanto aeris alieni pondere oppressi, ut quum pertimescendum ei esset, ne ob id condemnaretur, in tribunatu tanquam in portu salutem quaereret. Comparatio ducta a Scyllaeo scopulo, cui praeternavigantes facile illidant: qui quo sensu *columna* dicatur, ostendit Scholiasta Vaticanus: *Dicit factum Gabinium superbiorem illo praecipue, quod esset aere alieno defaeneratus. Et utitur ambiguis locorum nominibus: nam puteal vocabatur locus in vicinia fori, ubi erat columna etiam Maenia, apud quam debitores a creditoribus proscribebantur. Scimus praeterea columnam* . . . Reliqua in Cod. perierunt magno rei damno, quum plura hic de Maenia columna notata fuisse fas sit credere. Cum Scylla vero, quae rupes singularis est in freto Siculo (V. Plin. III, 14, collato Ausland 1839. No. 99), columna Maenia eo aptior comparata videtur, quo saepius metaphora veteres usi sunt, qua *columnam* de scopulo aliquo vel etiam monte editiore dicerent, quod factum, ut unum de multis afferam exemplum, in nomine columnarum Herculis.



quae hic traduntur quum eo minus locus dubitandi sit, quo ficta ea non esse aliorum testimoniorum mox laudandorum auctoritate certius confirmetur, tamen ea an recte a scholiasta ad Ciceronis locum explicandum afferantur recteque ex iis nomen columnae Maeniae repetatur, valde ambiguum est. Re vero paulo diligentius examinata apparet, hunc Maenium, qui domum suam censoribus vendiderit, ab illo, qui cum Camillo Latinos devicerit, toto coelo distare: id quod quum alii, ut Mazocchius [30]), tum etiam Garatonius scite perspexit, breviter ad Verrinarum locum ita scribens: „Fortasse duo Maenii, duaeque columnae admodum diversae fuerunt", postrema tamen non sine aliqua ambiguitate sensus. Sed accuratius haec demonstranda sunt. Ne multa, rem conficit Livius, qui ubi de eadem domus venditione loquitur [31]), de quo loco infra iterum dicendum erit, id factum narrat censoribus M. Porcio Catone et L. Valerio Flacco a. u. c. 568. Ad sustinendam hanc sententiam, si alio opus videatur argumento, afferri potest basilicae exstructio, cuius gratia censoribus emenda fuit domus Maenii: illius enim alterius Maenii aetate hoc genus aedificiorum plane ignotum Romae, quod quum aliunde, tum ex Livio [32]) patet, a. u. c. 544 basilicas in foro adhuc exstructas non fuisse tradente. Contra qui de uno eodemque homine cogitant, ii in conciliandis iis rebus gestis, quae a scriptoribus referuntur, in tantas difficultates incurrunt, ut res obscura ipsa multo etiam obscurior fiat, nullo expedienda modo, dum si duos distinguimus Maenios, res planissima evadit. Iam quum duos Maenios diversos statuimus, horum utrum Cicero in mente habuerit, si quaeritur, quum propter illa, quae modo de Ciceronis loco notavimus, tum alias ob caussas, non potest dubium esse, quin sermo sit de vetere illa columna, a Maenio, Camilli collega, dicta. Etenim rebus alterius Maenii accurate explorátis apparet, columnae nomen minime convenire iis, quae de domo eius vendita enarrantur: qua de re mox sermo erit. Addo quod eiusmodi hominum nequam, quos ad columnam Maeniam constitisse Cicero scribit, turbae ille ipse locus propter Carceris vicinam [33]) quam maxime convenisse videtur; sed hoc levius est. Gravius vero hoc, quod Plinius, qui columnam Maeniam oculis suis etiamtum vidisse videtur, non aliam nomine Maeniae columnam quam antiquam illam novit, quam a cognomine altera, si qua Romae fuisset,

30) Tab. Heracl. p. 376.
31) XXXIX, 44.
32) XL, 51. Cf. Anal. crit. p. 186.
33) V. Plin. VII, 60. Plauti Amph. I, 1, 3.

aliquo modo sine dubio distinxisset. Recte praeterea Bunsenius l. l. monuit, non potuisse Plinium uno eodemque nomine diversas duas columnas significasse. Ac mirum si duae diversae eodem nomine columnae Romae appellatae fuissent: quod vix quisquam serio crediderit. His fere argumentis adducor, ut sicubi columnae Maeniae vel simpliciter columnae nomine vocatae vel apud Ciceronem vel apud alium quempiam scriptorem mentio fiat, non aliam quam antiquam illam intelligendam censeam. Itaque ingentem errorem errasse existimandus est Pseudo-Asconius, quum ad illum Ciceronis locum Divinationis, in quo explicando versamur, ista afferret, quae non ad hunc Maenium, sed ad alterum illum aetate iuniorem spectabant, atque huius de nomine columnam appellatam censeret. Igitur quum quae ad domum Maenii spectant cum columna Maenia nihil habeant commune, posset totus hic locus salva re, ut ab hac quaestione alienus, dimittendus videri, nisi quoniam veteres ipsi utrosque Maenios inter se commiscuerunt, excutiendis eorum testimoniis sperandum esset fore, ut columnae illius etiam purior emergeret notitia.

In hoc testium examine proficiscendum ab eodem Pseudo-Asconio, quem quidem erroris in eo coarguimus, quod columnam Maeniam ex Maenio, recentioris aetatis homine, appellatam dixerit et ad Ciceronianum locum res attulerit, quae plane aliena sint, quem tamen in summa rerum ab ipso traditarum omni fide dignum esse supra adnotavimus; simulque etiam Maenius ille recentior quis fuerit, quaque aetate vixerit, ex Livio [34]) demonstravimus, cuius verba nunc exscribenda sunt: *Cato*, inquit, *atria duo, Maenium et Titium in lautumiis, et quatuor tabernas, in publicum emit, basilicamque ibi fecit, quae Porcia appellata est.* Inter opera igitur publica, quae cum Flacco collega Cato censor ex pecunia eam in rem decreta facienda locavit, etiam basilica fuit, quam separatim Cato quibusdam aedificiis in foro eum in finem emptis, quippe quae impedimento fuissent, exstruendam curavit, ab eius nomine, ut credere fas est, Porciam dictam. *Atrium* iam Maenium si Livius appellavit, unam et anteriorem quidem aedium Maeniarum partem, puta tantam, quanta ad aream basilicae opus visa esset, significavit: altera igitur Maenio relinquebatur. Vides, de eadem re agere et Livium et Pseudo-Asconium, illum vero multo accuratius, ut facile quid ab Asconio falso tradatur, possit distingui. Huc pertinet quod domum suam, videlicet integram una columna excepta,

34) XXXIX, 44.

Maenius Catoni vendidisse dicitur: quod haud parvi in hac quaestione momenti est. Etenim atrium solum si Maenius vendidit, iam intelligitur unam illam columnam ex peristylio fuisse, quo atrium Maenium sustentatum esset. De atriorum situ et conditione hic non opus quaerere, etsi etiam post accuratam rei pervestigationem a Beckero [35]) nuper institutam novis curis quaedam relicta videntur: satis est commemorare, atria Romanorum nonnunquam columnis instructa fuisse [36]). Quid vero, si omnem columnae mentionem hac in re fictam esse contendamus? Etenim Plinius l. l. priore L. Crassum oratorem, quum censoris munere a. u. c. DCLXII fungeretur, auctor est columnas quatuor Hymettii marmoris, aedilitatis gratia ad scenam ornandam advectas, in atrio ipsius domus statuisse, *cum in publico nondum essent ullae marmoreae*, idque factum in recentis opulentiae exemplis ponit. Quodsi iam reputamus saeculo septimo rarum adhuc columnarum marmorearum usum Romae fuisse, quid de privatarum aedium Maenii, qui saeculo ante vixit, apparatu censebimus? Sed in medio hoc relinquimus, quoniam nihil in rem confert, utrum unius columnae pluriumne (nam etiam plures commemorari mox videbimus), an fortasse ne ullius quidem columnae ius, sed partem solum aliquam aedium suarum Maenius in vendenda domo sibi servarit. Quum vero veri simile non sit, omnia quae de columnae iure traduntur, ex aëre arrepta esse, ista cum Livio facile ita conciliabuntur, ut Maenium, quum domum venderet, partem quandam et quidem atrii excepisse statuamus.

His positis, quibus nunc pro fundamento uti licet, satis praeparati accedimus ad ceterorum scriptorum, qui ea de re meminerunt, fidem explorandam; qui in eo laborantes, ut quae sint aedificia *Maeniana* vulgo dicta explanent, totam rem mirifice conturbarunt. Ex his primo loco nominandus Festus: *Maeniana appellata sunt a Maenio censore, qui primus in foro ultra columnas tigna proiecit, quo ampliarentur superiora spectacula.* Quae lucem accipiunt ab Asconio, cuius verba hic repetenda haec sunt: *exceperat ius sibi unius columnae, super quam tectum proiiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri eius spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur.* De censore nihil hic omnino, neque eius meminit Paulus Diaconus, an incuria, haud scio. Maenius an censor fuerit, ignoro: quae

35) Gallo T. I. p. 76 sq.

36) V. Plin. H. XVII, haud longe ab init. XXXVI, 3.

ex Augustino a Müllero ad Festum hanc in rem probandam afferuntur, nata ex illa iam antiqua Maeniorum confusione, hic non diluenda. Postremo vel plurium, quas Festus numerat, columnarum discrimen nullius, ut monitum, momenti est. Festo subiungo Nonium Marc. p. 651 omnia confundentem: *Maeniana, ab inventore eorum Maenio dicta sunt; unde et columna Maenia.* Haec exagitare nunc non opus videtur. Multo etiam peiora, quum praesertim sint prolixiora, contulit Porphyrio ad Horatium [37]), quae ex Horatii ed. Basileensi a. 1580 transcribo: *Qui de personis Horatianis scripserunt, aiunt Maenium scurrilitate notissimum Romae. Hic post patrimonium abrosum Calendis Ianuariis in Capitolio clara voce optavit, ut quadraginta nummorum aeris alieni haberet. Quaerente quodam quid sibi vellet, quod tam solenni die aes alienum optaret habere, noli mirari, inquit, octingenta habere debeo. Hic fertur domo sua, quam ad forum spectantem habuerat, divendita, unam columnam sibi ibi excepisse, unde gladiatores spectaret, quae ex eo columna Maenii nominabatur, cuius et Lucilius sic meminit: Maenius columnam cum peteret.* Tanta in his verbis inest rerum falsarum verarum confusio, ut etiam non fictis aegre fidem habeas, licet Porphyrio testibus iis, qui de Horatianis personis scripserint, usum se esse affirmet. Non solum enim commisti hic sunt ambo Maenii diversi, quod fugit Mazocchium l. l., ubi huius scholiastae verba expendit, sed quae horum esse scimus, rursus ad tertium quendam transferuntur scurram et ganeonem ineptum, etiam alibi ab Horatio adductum, quem ab illis plane diversum esse, nemo non videt. Ex reliquis vero quae de columna Maenii afferuntur, nihil certum nisi quod de exceptae columnae caussa dicitur. Nam Lucilianus locus ut recte adhibitus sit, quod an recte factum sit, dubitanti nihil potest opponi, ex eo, si quidem revera de altero Maenio sermo est, nihil aliud expiscari licet, nisi unam, non plures columnas Maenium, quum domum venderet, sibi excepisse: ac ne hoc quidem pro certo habendum est, quum una pluresve columnae fuerint distinguere poetae haud multum interfuerit. At omnino dubia et ambigua Lucilianorum verborum ratio, in quibus refingendis operam nolo perdere [38]). Haud minore confusione laborat, quem ultimo loco affero testem aetate etiam omnium recentissimum, Isidorus, qui, ut solet undecunque argumenta corradendo atque quae saepe quammaxime discrepant in unum cogendo

37) Serm. I, 3, 23.

38) Dousae Fragm. inc. 105 legendum videbatur: *columnam Maenius cum peteret*, vel *cum exciperet*. Possent etiam alia tentari.

suum opus adstruere, ita etiam ubi de Maenianis loquitur, eodem vitio vapulat, Orig. XV, 3, 11: *Maenius collega Crassi in foro proiecit materias, ut essent loca, in quibus spectantes insisterent, quae ex nomine eius Moeniana appellata sunt. Haec et solaria, quia patent soli, post haec alii lapide, alii materia aedificavere porticibus moeniana, et foribus et domibus adiecerunt.* De his, quae ex editione novissima descripsi, non opus est multa verba facere. Satis erit notasse, quod Maenius collega Crassi dicitur, quod unde habeat Isidorus, ignoro.

Postremo, testium illorum fide satis, ut videtur, nunc explorata, ad finem huius quaestionis properaturo mihi eius rei iterum in mentem venit, cuius caussa veterum scriptorum nonnullos Maeniae columnae mentionem fecisse vidimus: quam ne quid praetermisisse arguar, paucis certe attingere lubet. Quaestione enim de *Maenianorum* aedificiorum origine et ratione proposita [39]), fuere qui Maeniam columnam ad rem expediendam cum fructu adhibere sibi viderentur. Quod quo modo cesserit, in superioribus demonstratum est. In hoc tamen errasse ii minime videntur, quod eorum aedificiorum formam a tecto illo repetierint, quod ut ipse et posteri eius munus gladiatorum tum in foro exhibendum spectare possent, Maenius columnae imposuisse dicitur, et ita quidem instructum, ut tabulae eius supra columnam proiicerentur. Quod fictum non esse perspicitur plane ex Varronis de vita P. R. loco [40]): *ad focum hieme ac frigoribus coenitabant, aestivo tempore in loco propatulo; rure in chorte, in urbe in tabulino, quod Maenianum possumus intelligere tabulis fabricatum.* Si igitur Asconio fides certe hac in parte habenda est, tabulino Maenianum eo differebat, quod hoc in superiore aliquo aedium loco exstructum tabulata ultra columnas porrigeret: cum qua sententia egregie conveniunt quae ea de re Festus commonuit. Adde Vitruvii [41]) haec: *circaque in porticibus argentariae tabernae Maenianaque superioribus coassationibus collocentur.* Neque potest dubitari, quin Eckhelius l. l. recte viderit, eadem illa tabulata intelligi ab Herodiano [42]), qui incendii sub Maximino Romae tam celeriter propagati caussam a ligneis aedificiorum proiecturis repetit: κεκλεισμένων δὲ τῶν οἰκιῶν καὶ τῶν ἐργαστηρίων, ταῖς θύραις καὶ εἴ ἦσαν ξύλων ἐξοχαί (πολλαὶ δὲ αὗται

39) Vide, ne multa, Mazocchium l. l. Eckhelii Add. ad Doctr. num. p. 56 sq. Weicherti Comm. de Licinio Calvo p. 13, auctius repetita in eiusdem Poet. Lat. p. 105.

40) Apud Nonium p. 83.

41) V, 1, 2.

42) Hist. VII, 12, 12.

κατὰ τὴν πόλιν) πῦρ προσετίθεσαν etc. Ac simile quiddam spectasse videtur Seneca, quum de *machinationibus tectorum supra tecta surgentium et urbes prementium* loquitur [43]). Quibus omnibus collatis non potest non probari plurimorum sententia, qui Maeniana, ut Eckhelii verba mea faciam, fuisse statuant solariorum quoddam genus, quae et nos ornamenti et commodi caussa aedibus saepe adiicimus et ex Gallorum lingua *Balcons* appellamus [44]). Cuius generis solariorum imagines memini me vidisse in picturis quibusdam Herculanensibus et Pompeianis. Ac commodum in mentem venit sarcophagi Ostiae reperti anaglyphum portus Ostiensis imaginem exhibens, in qua praeter alia, teste Roulezio, qui primus, ni fallor, hoc de monumento verba fecit [45]), aedificium exstat, „ayant une espèce de balcon sur lequel deux personnages se tiennent debout.“ Iam in hac testium concordia non potest dubitari, quin aedificiorum nomen ex eo ductum sit, qui primus eius generis tabulinum Romae exstruxisse dicitur, quum praesertim ipsa terminatio v. *Maenianum,* quippe quae ad rationem sive similitudinem alicuius rei aliquid factum esse significet, dum *Maenium* id ipsum quod Maenii esset designaret, id luculenter comprobet: ita ut Maenius sibi quidem Maenium, ceteri exemplum eius secuti Maeniana sibi exaedificasse dicendi fuerint. Tam certa haec nominis explicandi ratio, etiam Weicherto probata, ut contra nullo modo audiendus sit Salmasius, qui ad Spartianum [46]) id a *moenibus*, h. e. columellis derivandum dixit: cui nonnulli ita obtemperandum praepropere censuere, ut scripturam vitiosam *Moeniana* in aliquot codicibus oblatam ea ratione confirmari crederent eumque scribendi modum unice probarent, ut Oudendorpius [47]) et alii. Ceterum eidem Weicherto in loco Valerii Maximi [48]), quo C. Licinius Macer, repetundarum reus, dum sententiae dicerentur, Maeniano conscenso, ore et faucibus sudario coartatis poenam morte praecurrisse traditur, certum quoddam Maenianum a Maenio aliquo conditum intelligenti ego quidem non assentior, tum quod id non diversum esse posset ab aedificio illo, quod columnae Maeniae nomine quosdam appellasse vidimus, nunquam vero *Maenianum* simpliciter vocatum est, tum propter ipsum illud discrimen supra expositum,

43) Epist. 90.
44) Cf. Mazocchi l. l. p. 376. Schneid. ad Vitruv. T. II. p. 310.
45) Bull. de l'Academie Royale de Bruxelles, Tom. VII. No. 5. p. 17.
46) Pescenn. N. p. 12.
47) Ad Suetonii Calig. 18.
48) IX, 12, 7.

quod inter Maenium et Maenianum intercedit. Immo aliud quoddam in primitivi Maenii, si ita dicere licet, similitudinem exstructum tabulatum intelligatur oportet, cuius generis alia plura etiam in foro posthac fuisse possunt, quandoquidem certum est, Romanis tantopere id genus aedificiorum placuisse, ut per totam urbem permulta constituta fuerint. Suetonius [49]): *Commisit et subitos, quum e Gelotiana apparatum circi prospicientem pauci ex proximis Maenianis postulassent.* Quid? quod ex ipsa Maenianorum multitudine, quum ligno facta essent, incendio forte in urbe orto, periculum ignis eo celerius propagandi imminere ideoque iis publica auctoritate sublatis amovendum visum est. Qua de re scite Eckhelius [50]) monuit, praeter alia afferens hanc in rem probandam praesertim Ammiani Marcellini [51]) locum, quo Praetextatus sub Valentiniano urbi praefectus dicitur *Maeniana sustulisse omnia, fabricari Romae priscis quoque vetita legibus.* Priscas has non novimus quidem leges: sed quae in Codice Iustiniani exstant constitutiones quaedam, eae illis sane innisae videntur. Quas, quum ex iis Maenianorum ratio etiam in clariore luce ponatur, hic corollarii loco subiungere iuvat. Cod. VIII. tit. 10, 11. a. 423: *Moeniana, quae Graeci ἐξώστας appellant, sive olim constructa, sive in posterum in provinciis construenda, nisi spatium inter se per decem pedes liberi aëris habuerint, modis omnibus detruncentur. In his vero locis, in quibus aedificia privatorum horreis publicis videntur obiecta obstructione Moenianorum, quindecim pedum intervalla serventur. Quem intercapedinis modum aedificaturis quoque proponimus, ita ut, si quis intra definitum spatium, id est decem pedum mensuram, aedificare, vel intra quindecim pedum Moenianum possidere tentaverit, sciat, non solum fabricam demoliendam, sed etiam domum fisco nostro adscribendam.* Addamus etiam Zenonis imp. constitutionem ibid. 12, 5: Ἔτι θεσπίζομεν, τὰ καλούμενα σωλάρια μετὰ τὸν παρόντα νόμον μὴ ἐκ μόνων ξύλων ..καὶ σανίδων γίνεσθαι, ἀλλὰ τῷ τῶν λεγομένων ῥωμανισίων [52]) οἰκοδομεῖσθαι

49) Calig. 18.

50) Add. ad Doctr. num. p. 56 sq.

51) XXVII, 9.

52) ..a Krigelius, cuius exemplum exhibuimus. .. vereor ne revocanda sit ex Basil. forma 'Pω- ·ων, ut quae sola eius aetatis consuetudini ..di propria fuerit, veluti Μαρτήσιος in lapide . p. 369, coll. 370, et sexcenta eius generis alia. Quod vulgatum, id ex vitiosa serioris aetatis scriptura repetendum videtur. In sequentibus lectionem ἀντιπροιόντων admissam non ante probabo, quam idonea eius usus verbi exempla adhuc a me desiderata apposita fuerint, quum praesertim in scriptura librorum nonnullorum ἀντιπρὸ ὄντων nihil omnino sit quod offendat. Ceterum docemur, quod ex re videtur verbo notare, ex Ephem. litt. Hal. 1844. Intell. 33. p. 266, hac de Zenonis constitutione Dirksenium in Academia Regia Berolinensi paucis ante mensibus verba fecisse, quae ut quantocius litteris mandentur optamus.

σχήματι, δέκα δὲ ποδῶν εἶναι διάστημα μεταξὺ δύο σωλαρίων ἀντικρουόντων ἀλλήλοις. εἰ δὲ τοῦτο μὴ δυνατὸν εἴη διὰ στεν[illegible]ν τοῦ τόπου, ἐκ παραλλαγῆς γίνεσθαι τὰ σωλάρια. εἰ δὲ αὐτὸς ὁ στενωπὸς μὴ περαιτέρω δέκα ποδῶν εἴη, μηδ' ἐπιχειρεῖν ἐκ μηδετέρου μέρους σωλάρια [illegible] ἐξώστας κατασκευάζειν. Καὶ τὰ γενόμενα δὲ, ὃν τρόπον εἴρηται, κελεύομεν [illegible]εστάναι τοῦ ἐδάφους εἰς ὕψος ποδῶν δέκα πέντε διάστημα, καὶ μηδαμῶς κατὰ κάθετον αὐτῶν κίονας λιθίνους ἢ ξυλίνους ἐπὶ τῷ ἐδάφει ἵστασθαι ἢ τοίχους κατασκευάζεσθαι, ὥστε μήτε τὸν ἀέρα τὸν ὑπὸ τοῖς ἐν τῷ ὕψει γινομένοις, ὡς εἴρηται, σωλαρίοις ὑποφράττεσθαι, μήτε ἐντεῦθεν στενώτερον γίνεσθαι τὸν στενωπὸν καὶ τὴν δημοσίαν πάροδον. κωλύομεν δὲ καὶ κλίμακας ἀπὸ τοῦ ἐδάφους ἀρχομένας τοῦ στενωποῦ γίνεσθαι, ἀναγούσας ἐπὶ τὰ σωλάρια· ὥστε ἐκ τῆς ἀσφαλεστέρας κατασκευῆς καὶ ἐκ τοῦ μὴ σφόδρα πλησιάζειν αλλήλοις τὰ σωλάρια, κουφοτερους καὶ σπανιοτέρους συμβαίνειν, ὃ μὴ συμβαίοι πότε, καὶ εὐκολώτερον παύεσθαι τοὺς ἐκ τοῦ πυρὸς κινδυνοὺς τῇ πόλει καὶ τοῖς ἔχουσι τὰς οἰκίας. Εἰ δὲ παρὰ τὸν ἡμέτερον νόμον γένηται σωλάριον ἢ κλίμαξ, οὐ τὸ γεγονὸς ἐκκοπήσεται μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ τῆς οἰκίας κύριος δέκα χρυσίου λιτρῶν ζημίαν ὑπομενεῖ, καὶ ὁ διατυπώσας ἀρχιτέκτων ἢ ἐργόλαβος ἑτέρας δέκα χρυσίου λίτρας καταθήσει, καὶ ὁ ἐργασάμενος τεχνίτης, οὐχ οἷός τε ὢν διὰ πενίαν ζημιοῦσθαι, τὸ σῶμα αἰκισθεὶς τῆς πόλεως ἐξελαθήσεται.